

† Excellentissimus Episcopus Prudentius Contardo (1860-1950)

(*Vice-Prov. de Santiago*)

† Excellentissimus Episcopus Prudentius Contardo (1860-1950)

(*Vice-Prov. de Santiago*)

In civitate Molina, olim ad archidioecesim S. Iacobi, nunc ad dioecesim suffraganeam Talca pertinente, Prudentius Contardo d. 24 Sept. 1860 natus est. Puer pius ac studiosus Seminarium intrare volebat, sed pater, licet catholicus optimus, id non permisit filio nisi absolutis humanitatis studiis et baccalaureatu obtento.

In Seminario maiore item enitebat pietate profunda et impensi studii amore, ita ut tam Superiorum quam magistrorum aestimationem sibi vindicaret. Ab initio splendere coepit tam dicendi quam scribendi arte et eloquentia, facile princeps inter coaetaneos.

Sacerdotio auctus d. 22 Dec. 1883, ipsa Nativitatis nocte primum Sacrum litavit, et hac occasione inter cor Iesu et cor Prudentii amoris pactum sancitum est, nunquam in posteriore vita mentitum; ad extremam quippe senectutem grandis Prudentii Contardo amor fuit reapse Iesus Christus.

Professor Seminarii nominatus, iuvenes clericos scientia ecclesiastica imbut et per longam Rectoris absentiam eorum vitam totam laudabiliter rexit.

Postea ministerio paroeciali aliquantulum indulxit; sed ab illustri oratore et Vallis Paradisi Gubernatore ecclesiastico Rmo Raymundo Angelo Jara rogatus, huius praeclari viri secretarius factus est, quod idem munus cum successore Illmo Aloisio Henrico Izquierdo retinuit. Quo tempore insuper in fidelium, praesertim iuvenum, salutem promovendam tam praedicatione quam spirituum directione incumbebat.

Attamen fratrum, novercae et patris senis necessitatibus compulsus, iterum paroeciam accepit, eamque ob anteriorem titularem profunde divisa violenterque agitatam. Receptus a parte maiore acriter ac turbulentiter, tanta prudentia tantaque benevolentia et zelo sacerdotali usus est novus animarum pastor, ut post aliquot menses omnium animos sibi conquisierit totamque paroeciam paulatim transformaverit.

Patre mortuo, domum nostram S. Iacobi pettit ad exercitia spiritualia peragenda, et qui iam antea vocem Domini ad religiosum statum invitantis audierat, ibi lectione librorum S.P.N. Alfonsi de vocatione religiosa et de genuino Redemptorista confirmatus, consilium cepit nostrum Institutum intrandi. Ob novercae tamen et fratrum necessitates rei exsecutionem differre debuit, usquedum fratri minori, interim item sacerdotio aucto, familiae curam tradere posset.

In domo S. Bernardi absoluto tirocinio d. 4 Iun. 1906, mittitur tamquam subditus in domum Cauquenes. Ibi zelo vere apostolico missionarii labores aggreditur et brevi elapso tempore inter omnes eminent. Cum insigni fructu verbum Dei praedicat in civitatibus Cauquenes, Valparaiso, Santiago. Viri, iuvenes, matronae, puellae in secessibus, sive apertis sive clausis, eius eloquentia perlucida et omnino apostolica moventur et ad Christum ducuntur. Conversiones non paucas et valde notabiles, inter mulieres magis quam inter viros, perficit, quamquam etiam viros iuvenesque mire movet ad sacram communionem pie recipiendam, praesertim prima fer. VI mensis in honorem Sacratissimi Cordis Iesu.

Die 12 Apr. 1920 Illmus Misuraca, Nuntii Apostolici vices gerens, Patri Contardo notificat eum a Benedicto PP. XV esse nominatum Episcopum tit. Syeniten. (*Syene*) et Gubernatorem ecclesiasticum Temucensem. Praeconizatio fit sequenti d. 15 Iunii, et d. 28 Octobris novus Nuntius Excmus Benedictus Aloisi Masella eum consecrat Antistitem in magnifica Basilica Dominae N. de P. S. in urbe S. Iacobi. Paucis diebus elapsis recens consecratus Episcopus Temuco petit et novum grave munus omni ditione explere incipit. Cum autem a. 1925 Papa Pius XI Temuco caput novae dioeceseos designasset, d. 14 Decembris illius anni Prudentium

Contardo primum assignat Episcopum Temucensem, qui d. 3 Maii 1926 sedem suam occupat.

Indefessa sollicitudine novam dioecesim visitat, ordinatque, ipse sese impendens praedicationi, sacramentorum administrationi, cleri reformationi omniq[ue] labori apostolico. Adiutoribus externis advocatis, novas paroecias constituit, inter quas primam omnium in Chile Matri de P. S. dicatam.

E Temuco suam apostoli operam extendit ad omnes fere dioeceses et principales reipublicae civitates, ab austro ad septentriones, omnibusque locis mortalium corda ad summum Deum convertit, opimos salutis fructus colligens. Hic contionator illustris eminebat semper cum Alfonsiano fervore tum p[re]aclara dictione, admirabili voce, unctione singulare.

Caelum vero Temucense saluti Eximi Prudentii, variis iam infirmitatibus prostratae, mala vel maiora minabatur, ideoque confrater semel iterumque suae dioeceseos renuntiationem ad S. Congregationem Consistorialem misit, sed absque effectu. Anno 1934, cum sua valetudo vere male se haberet, Nuntium Felici Romam euntem rogavit, ut apud S. Congregationem suus intercessor esset, id quod feliciter factum est.

Die 15 Dec. 1934 Eximus Contardo transfertur ad sedem tit. Cabastianum et mense Aprili 1935 ad domum nostram S. Iacobi felix revertitur, sed tali virium deiectione debilitatus, ut confratres Episcopo unum mensem vel ad summum quatuor vitae concederent. Iam vero post duos menses (miranda res!) propter caeli mutationem omnimodamque tranquillitatem ita salus Episcopi innovata est, ut novos apostolicos labores suscipere et per eos novos fructus in audientium animis producere posset. Quo meliore aere frueretur, Valle Paradisi sedem fixit, unde ministerio verbi semper fructuose occupatus esse satagebat.

Anno autem 1937, mortuo Ordinario Vallis Paradisi et Concilio Episcoporum congregato, Eximus Contardo in aetate 77 annorum eligitur Vicarius Capitularis, cui officio per octo menses attendit. Quasi omnes dioeceseos paroecias occasione festorum patronalium visitat et praedicationibus, confessionibus, confirmationibus admirabili fortitudine se impedit. Hoc ipso tempore templum cathedrale, in forma plane incompleta iamdudum derelictum, sollicitudini fidelium iterum commendat et statim in fronte templi scalam magnam lapidibus electis construit, eam circumdans pulchris clathris ferreis. Immo in ambitu templi celebrat primum Sacrum, quod quidem fidelium animos commovet eosque excitat ad opus tandem perficiendum. Hac communis voluntate bene usus est postea novus Episcopus Eximus Raphael Lira Infante ad felicem huius operis, tam Dei gloriae quam fidelium saluti apprime necessarii, perfectionem.

Per aliud decennium (1938-1948) prosecutus est Dominus Contardo, at multo moderatius ob provectam aetatem, pristinos apostolicos labores,

et tandem anni 1948 initio domum S. Iacobi repetiit, adversam valetudinem curaturus; vires enim cadentes et quaedam spiritus maestitia venerandum senem prostraverant et ad praedicationem ineptum reddiderant. Mense Septembri illius anni gaudens salutare potuit supremum Institutum Moderatorem¹.

Anno 1949, die Maii 10, in Universitatis Catholicae clinica hospitaria recluditur ad operationem chirurgicam subeundam, quae necessaria quidem apparebat, sed ob infirmi provectiorem aetatem perfici non potuit. Eodem anno currente domum mense Iulio regressus, patientiae causas tam sibi quam communitati multiplicat, usquedum mense Februario anni 1950, die 17, post iteratam sacramentorum receptionem, fere nonagenarius, ad caelum, uti speramus, advolat, laborum pro gloria Dei et animarum salute exantlatorum praemium recepturus. R.I.P.

CHARLES HENZE
